


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

1.678



585






CONATVS  
GRATIÆ *A. 16*  
ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
**D. LAURENTIO**  
**GEMBICKI,**  
ARCHIEPISCOPO GNESNEN-  
SI, LEGATO NATO,  
REGNI POLONIÆ  
PRIMATI, PRIMO  
PRINCIPI.  
AB  
ALBERTO HACZEL  
MEO ENATI OPTIMO  
OBLATVS.  
CALISSII.

Ex Officina Alberti Gedelii, Archiepiscopalis  
Typographi. Anno Dni. 1620.



IN INSIGNE GENTIS.



Dum diadematam spectas in stemmate vittam,

Ornamenta duo fronte petita vides.

Frontis opus fuerant, qua sunt modo præmia frontis,

Iufula sudoris, mitra cruxoris opus.

XVII - 1678 - II

# ORATIO

## AD

ILLVSTRISSIMVM

PRINCIPEM.

**N**IDEO, quod s<sup>æ</sup>pius a præceptoribus meis accepi, Princeps Illustrissime, eam esse inter se virtutum coniunctionem, ac societatem tantam, vt qui vnam sincere sit consecutus, is omnium familiaris, atque domesticus debeat existimari: & cuius in animo vel vna species virtutis, fixum non elegerit domicilium, ab eo omnem earum chorum exulare necesse sit. Nam tametsi eius rei causam, quam a primis viri sapientes euoluere solent principiis, ignorarem, id tamen ita esse toties comperio, quoties Te mihi, Tuique similes, quod s<sup>æ</sup>pe facere soleo, ante oculos pono, vt Tua illa gentilitia fascia nihil mihi videatur significare verius, quam aut coronamenta, quæ hæreditaria virtutum insignia sunt vltro ab ipsis laudatissimæ vitæ tuæ studiis, delata, aut ipsas potius omnes tibi deuinctas, imo despontas, aut etiam vincetas & alligatas, sed suauissimæ perpetuæq; consuetudinis vsu apud te teneri. Quin etiam tuarum istarum cōtemplatione virtutum, tantam illarum consolationem experior ac seriem, vt

pleræque, quæ præsertim hominum aliorum communione concernunt existere, in vno non possint, nisi in alio suæ fœcunditatis, traduces atque propaginis serant, & suæ communitatis quasi quasdam colonias deducant. Liceat enim mihi ab aperto animi mei sensu petere testimonium, qui gratam fidelemq; beneficij memoriam, quæ virtutum omnium concitatrix est, in me vigere sentio, ab eximia tua liberalitate prouocatā. Liberalitas Tua illa est, quæ in tenuitatem mēa veluti igniarius lapis, in excœctum illata chalybem, gratae memoriæ edidit, atque etiam num conseruat flamam. Et quemadmodum summa quæ in Deo est, beneficentia facit, ut mortales eam in omni re experti, gratias ipsi agant, iisque agendis cultum religionis, ipso naturæ ductu exercēcant; & sicuti patriæ parentumq; charitas esse sine ciuium liberorumq; mutua pietate non potest; ita sincera liberalitas absque gratia. Illa igitur facit, ut quanquam oratio mea per eloquentiæ decurrentis campos, tenuem adhuc verborum pro imbecillitate ingenii, compārarit scaturiginem, exiguoque feratur alueo; in tua tamen beneficia commemoranda, neruos experiri non erubescat. Sunt illi quidem impares tantis virtutum tuarum titulis attingendis; sed priuatum meum desiderium tam diu prellum illa tandem erexit cogitatio, satius esse aliquod gratae memoriæ signum edere, quā premere; præsertim cum liberalitas tua, tam nota sit omnibus, ut ab infantiæ meæ vicio minor videri nō possit. Neq; tamē ita animosus ero, ut me in immēsum laudum tuarum pelagus immittam:

mittam: sed materiam viribus æquam , me sum pisse arbitrabor, si quam, cum gratus esse laboro, affectus intulit, inter amicos de beneficentia in me tua disceptationem ad te retulero; ut cum beneficii memoriam pari oratione testari non possim, affectum saltem grati animi quotidiano sermone non dissimulatum proprium virtutis tuæ partum tibi non ingratum futurum sperem. Etenim plus ego beneficentia tuæ Princeps Illustrissime, an illa ipsa tibi, vel tu illi deberes, disputatum est aliquando inter meos. Quod enim sis omnibus charis largitate fieri, cum præclaro Philosophiæ interprete Boëtio sentiebant, ad stipulante præsertim Philone, inter virtute præditos maxime liberales amari. Quod autem liberalitas Dei immortalis bonitatem suam in omnes perenniter diffundentis referre speciem simillimam videatur; hoc ab illa tibi deberi, qui facis, ut id ita esse non aliena attestatione credamus, sed ipso sensu quotidie experiamur. Quod ego deniq; sim, & sim in virtutis ac eruditionis disciplina, totum opis est Tuæ. Sed enim cum non exigui sit otii decernere, quid in his ex vna quidé parte plus sustineat officii, quid ex altera præcipuas præstanta gratia sibi vendicet partes, parcam grauissimis tuis de Republica negotiis, nec abutar benevolentia tua longius; quam vt id referam quod tu sanctissime facere soles quotidie, te virtuti Tuæ debere, te Tuæ liberalitati obstrictum esse. Quid enim? an non illam in virtute diuinitatis speciem instinctu ipso naturæ videmus ob quam illi ipsa maiorum nostrorum sancta vetustas diuinos decernebat honores?

illa Sacrorum religione , dedicatione templorum , fe-  
storum cultu celebrabat ? Est hoc virtutis proprium ,  
vt quemadmodum eorum nemo , qui ad diuinum Nu-  
men configuiunt auxilii expers discedit , ita illius secta-  
tores sui spe præmii excidant nunquam , Quod fit vt si  
minus diuinis afficienda sit honoribus , plus tamen illi  
à nobis , quam nobis metipsis deberi negare non possu-  
mus . Quia in re , vt nihil quod commune sit , virtutis o-  
mnis attingam , hoc tu Princeps Illustrissime liberali-  
tatis instinctu consecutus es , quidquid in te ex aliarum  
præcipuarum virtutum vsu decoris , atque laudis re-  
dundauit , quicquid belli pacisq; tempore Reipublicæ  
bono contulisti , ex eo sibi præcipuam liberalitas de-  
cerpit partem . Habet potissimum liberalitas laudem ,  
ex pacatistua humanitate , & omni officiorum genere  
rebellibus , habet ex conciliatis eorum animis , quo-  
rum adiunctio maximo Reipublicæ fuit adiumento : ha-  
bet ex repressis hæresibus , ex erectis iis qui Ecclesiæ cō-  
modis desudant , ex instituta iuuentute cuius olim ope  
regni consistent vires , ex magna nationis nostræ apud  
exteras gentes fama , quæ tuum in omni vita splendo-  
rem , in publicis negotiis magnificentiam , in munifi-  
centia copiā admirantur : habet ex subleuata pupillo-  
rum , cæterorumq; calamitosorum egestate : habet ex  
ornatis , dotatisq; Numini placando , consolandoq; gen-  
tibus templis , ex repressa seruandi cupiditate : habet  
denique ex nunquam admissa noxiorum vulgari iam e-  
xemplo sumptuum profusione , ex retenta in cuiusuis  
muneris gradum summa æquitatis atque iustitiæ , erga  
omni-

omnium ordinum homines integritate. Qnæ tanta  
sunt, vt singulis prolixam quamuis orationem imparē  
esse necesse sit : & quia tam multa, tamq; difficultia in v-  
nam orationem compelli non possunt, iis in aliud tem-  
pus otiumq; sepositis, si quid tamen de vno illortim di-  
ci paucis debeat, belluarum magis (mea quidem sen-  
tentia) quam hominum erit efficax oratio, vt ex in spe-  
rata brutorum animantium æstimatione incompara-  
bile hominum iudicium efflorescat. Proditur memoria  
in lacu Lucrino Delphinum magno in puerum quen-  
dam, & amore extitisse, & obsequio, qui eum ē Baiano  
Puteolos in ludum literarum itantem, per ingentem  
maristractum, dorso suo insidentem, pinæ suæ aculeos,  
veluti vagina condens, deferebat toties, quoties vel  
domo gymnasium petebat, vel ē palæstra parietes do-  
mesticos repetebat. Eius tam insueti officii causa non  
alia fuit, quam quod fragmentis panum piscem hunc  
ad litus sèpissime tractasset, eumq; Simonis nomine,  
quo hoc genus piscium maxime delectatur appellasset.  
Quare quoq; diei tempore, inclamatus à puerō,  
quamuis occultus atque abditus ex imo aduolabat, pa-  
stusque ē pueri manu, præbebat ascensuro dorsum, re-  
ceptumq; per magnum æquor in ludum ferebat. Eo sti-  
pendio deuincta bellua, pluribus vectorem egit annis,  
donec morbo extincto puerō, subinde ad consuetum  
ventitans locum tristis, & mærenti similis ipse quoq;  
(quod nemo dubitarit) desiderio expirauit. Tantam be-  
neficentia in rebus etiam exiguis, vim habet, atq; gra-  
tiam. Neque sane id à cæco, quodam impetu naturæ

profe-

profectum esse putandum est, sed à rectissimo potius ac  
optimo ; quippe qui cum diuinis rationibus congruat,  
in primis atque conséiat, quarum exempla apud Te qui  
summus in Regno Sacrorum Antistes es , maiore quam  
vnquam soleā confidentia recensebo. Notum est no-  
biliſſimæ illius à licentiosa vita , ad frugem reuocatæ  
matronæ erga Seruatorem Christum studium, nota illa  
prope voluntatis extrema significatio , odorati vngue-  
ti effusione testata, quæ si auari Oeconomi iudicio stan-  
dum est, aureostriginta nummos non nimium excede-  
bat ; eius tamen largitione æternum consecuta est no-  
men, ipso iam tum non solum vate, verum etiam præco-  
ne eius laudis existente Christo. Quid incomparabilis  
eius forma ac inusitata pulchritudo ? quid iuueniles  
anni ? quid gratiæ ac venustates ? quid lepores ? quid  
diuitiæ ? quid fauores ? quid festi applausus ? & alia  
quæ interdum vulgus miratur, nominis illi cōtulerunt,  
nisi vt flagitiosa, & esset, & diceretur peccatrix ? At  
verò beneficentiam aureis aliquot nummis declaratam  
totus circumfert orbis , nec vlla vnquam de ea ætas  
conticescet. Nullum illa reliquit opus incisum marmo-  
re, aut ære expressum ; nihil in compitis viisque publi-  
cis propositum ad tubarum clangorem, sonumq; tym-  
panorum promulgatum nihil ; manet tamen illud v-  
num toto terrarum orbe prædicatum. Evidem ad-  
huc ita mihi persuadeo ipsum generis nostri Reparato-  
rem Christum, huius virtutis specie adductum, quan-  
quam collata stipe , atque aliena liberalitate vicitare  
decreuisset, sine illa tamen esse noluisse, coque factum

est.

esse interpretor, vt vnum ē discipulorum numero le-  
geret, qui quod aliena sibiliberalitas contulisset, idem  
in aliorum egestatem deriuaret, & sua comprecatione  
redderet auidius. Felicem te Princeps Illustrissime, qui  
tam prolixum in te dominium liberalitati permisisti,  
cuius amplissimis argumentis recensendis modum in-  
uenire cūm difficile sit, infinitam necesse est gloriæ mes-  
sem respondere. Habeant alii fortunas tuis æquales, ha-  
beant etiam opes maiores, gloriam tuam nunquam cō-  
sequentur, qui tuam assecuti, non sunt liberalitatē.  
Iactent diuitias alii cistis flagellatas, à quibus solam no-  
bilem referent infamiam, cum præsentis vitæ concussi  
tempestatibus, atque ad extremos illisi scopulos, sepul-  
chro deniq; talibus notato acuminibus condentur. V-  
**TRIVSQUE DISPENDIVM.** Hoc enim verius eiusmodi cōue-  
nit hominibus, quam quod picturæ gemini serpentis,  
quorum vnuſ alterum glutiat, subiici solet, dispendi-  
um vnius, alterius compendium. Rectius inquam, vtri-  
usque dispendium: quod non ille ſolum pereat, cuius  
patrimonii, fortunarumq; ſucco alius viuit, aut quia ita  
ſuo nimium gaudet peculio, vt alterius interitu non  
moueat, verum etiam simul ipſe intereat, cum per  
ſuæ cupiditatis intemperiem aliorum neglexit, imo e-  
tiam contempſit ſalutem. Dicam plus; ne ille quidem  
qui in extremo vitæ termino donat, glorioſe donat;  
nam quidquid tum primum facimus, non ſponte faci-  
mus noſtra, ſed vt qui violenter cibos reddunt, non fi-  
ne naturæ verecundia, atque adeo turpitudine id faci-  
unt, ita qui mortis neceſſitate adacti quod ſecum au-

ferre nequeunt, tandem aliis impertiri volunt, si quid  
præstant boni, præstant tamen, ut modestissime dicam  
inglorii. Tua liberalitate illud supra consuetudinem  
obtines ornamentum, quod prius tibi desit, quod im-  
pertias, quam desinas impertiri, malisq; ipse gloriae se-  
getem, & facere, & metere, quam a te duntaxat iacta  
aliis metendam, aut quod saepius fieri solet conculcan-  
dam, & obterendam relinquere, ac deniq; ita liberali-  
tate per omnem vitam ut aris, ut prosis quam plurimis,  
noceas nemini. Quod tuum institutum tanto præterea  
augustiorem præfert lucem, quanto nobiliori insistit  
exemplo, quando non modo, ut Alexander orbis domi-  
tor, qui de florentissimorum regnum spoliis rogatus  
quibus in æriis ea recondita haberet, digitum in a-  
micos intendens, in iis thesauros, omnemq; gazam su-  
am esse respondit. Verum potius ex ipsius feruatoris  
consilio dicere potes, opes tuas in iis reliquas esse, a  
quibus priuatis tuis rationibus commodum nullum spe-  
res, ut liberalitas tua cum sine præmio benigna est,  
gratuita, & non cum mercede (quemadmodum vulgo  
consuevit) conducta sit. Quæ tamen mirabili quadam  
efficit artificio, ut supra mortalium consuetudinem,  
cum benignitate fontem ipsum benignitatis exhaustu-  
rus, & inibi esse, ut benignitatem benignitate subla-  
turus, quoq; in plures ea usus es, eo minus in multos  
vti posse videaris, inde tu maximum pecuniae fructum  
capias, ita consulte largiendo, ut maiores semper ad  
largiendum suppetant copiae. Hoc nimirum agis, quod  
pluviæ tempestiuæ, quæ nec vires suas soluto impetu  
semel

semel exhauiunt, nec repentinæ instar allusionis,  
quod fæcundare debebant, subruunt ac evertunt, sed  
quæ commodo soli faciunt, curant quodammodo, vt  
diutius facere possint, & ita largitionem temperant,  
vt stirpes eductas non opprimant, sed educant, atque  
perficiant. Cæterum compendia querere in hoc ge-  
nere necesse habeo, & percensendis huiusc liberali-  
tatis argumentis singulis, quæ volumen requirunt, cla-  
reque in oculis omnium versantur, supersedere. Illud  
tantum resumo, quod initio proposueram, verum esse  
Te Princeps Illustrissime liberalitati Tuæ plurimum de-  
bere, cuius moderatione veluti quodam nauigio inue-  
ctus medium sapientissime, non minus quam felicissime  
toto vita Tuæ cursu tenuisti, vtrinq; vitiorum, hoc est,  
& colligendi auiditate, & temeritate profundendi re-  
ductus. Quanquam quid tu hic ita virtuti debeas, vt  
non tantundem debeatibi, cum ipsa virtutis ratio, sine  
tuo labore constare non possit, & virtutem consequi,  
sit ipsa virtus. Quam non in æternis tantum Beata-  
rum Mentium domiciliis, suo fruituram præmio, & spe-  
ramus, & gratulamur, verum etiam tam diu inter mor-  
tales vigere precamur, quamdiu Rempublicam floren-  
tem, atque ornatam, quamdiu bonos omnes tua ope  
promotos, quamdiu egentes tua munificentia erectos  
optamus.



P A N E G Y R I S  
D E ILLVSTRIBVS ILLVSTRISSIMI  
P R I N C I P I S  
L A V R E N T I I G E M B I C K I ,  
F A C T I S , E T  
H O N O R I B V S .

A vgustos , non sola Patrum , decernet honores ,  
Turbatogatorum , non ætas sobria curis ,  
Feruentes circi ; vel gloria magna Senatus  
GEMBICIO : iuuenum studiis vulgata patebit ,  
Princeps , Præsuleis ornata insignibus , aula .  
Ætas , quæ cedit reuerenti prella pudore ,  
Induet ingenuam frontem , pectusque virile ,  
In Mecœnatis , certare audissima , campo  
Virtutum ; inde sibi vitæ ornamenta futuræ  
Destinat : in laudum , quærit dum examine , laudem .

Tu , cuius summum , pergrata Modestia , culmen  
Omnibus inclinat ; quem , gloria nulla , caducis  
Oblectat titulis ; sed virtus sola coronat ;  
Annue , GEMBICKI , coeptis : mens approbet ausus :  
Neue suæ , toruum , laudi frons clara minetur .  
Nam Mecœnates , nunquam , caruere Marone .

Ecce , sed exili rerum dum carpere pennâ ,  
Summa volo , moresq ; VIRI , mitesq ; Tiaras ,

Et non

Et non quæsitas trabeas, fascesq; coactos ;  
Astitit attonito, membris, & honore stupenda  
Virgineas depicta genas , lenisq; iuuenta  
GEMBICII. frons alta patet, vestisq; virili.  
Crispatur cinctu , varioq; in stamine Chloris  
Ducta nitet, floresq; suis in collibus errant :  
Labris, Siuada, vel ore Siren, ni pulchrior, omnes  
Canicie venerandā animi superaret, & oris  
Maiestate, diuque hærens, sic ore locutā est.  
Sic neglecta tuo , condarq; ingloria metro ?  
Sola ego ! quid merui, nequeam quod carmine dici ?  
Post desudatos, viuam illaudata , labores ?  
Desidias molles, atque otia marcida luxu,  
Et leues vitasse genas , & vocis acutæ  
Molliciem, crudis mentis , duroque letiassæ  
Membra thoro : multo stabiles cumulasse labore  
Diuitias mentis ; multamq; hausisse Mineruam,  
Ludus erat, nullusq; labor, non infima laudis  
Materies. sic questæ silet, vultuq; trementem  
Stans grauius, quam voce premit, gratiiorq; recedit.  
Defixos leuo terrâ oculos, tremebundus, euntem  
Voce sequor, Clarioque calens in pectore, Musa,  
O Devs ! exclamat, spes, nostræ & gloria gentis !  
Præsule digna ætas ; populi, ad moderamina nata,  
Ipsa tibi Virtus precium est, nil indiga laudis,  
Diuitiis animosa suis, quam, proximus vltro  
Ambit honor ; semper nostro celebrabere versu :  
Te, super Ænotrias , aquilis felicibus, vrbes  
Semper fama feret, quoad ipsis inserat astris.

Sed iam, qui primos LAURENTIVS exigit annos,  
Magnum opus, in paruos, Polychimnia contrahe, gy-  
Quæ puerō, Virtus; & qualem, protinus anni (ros  
Formauere rudes; vitæ incrementa docebunt,  
Cum Procerum, Lechiæ Iuuenem mirare, coronâ:  
Qualem, antiqua Ducum, Regumq: CRACOVIA sedes  
Vidit, & egregium patriæ suspexit alumnūm.  
Iam, tunc Eloquio, lingua m ditarat Apollo  
G E M B I C I I, attonitas, sermo qui duceret, aures,  
Ibat ad imperium mentis; iam opulentia lingua  
Vndabat victrix; iam publica pagina, Regis  
G E M B I C I I Eloquio crescebat: Sarmata, magno  
Certabat Latio, atque suo Ciceronē tumebat;  
Dum terris edicta parat; curamque. remotis  
Imponit populis; sociis, dum foedera pangit,

Interea LECHIÆ rerum moderamen habebat  
Bellipotens, notusque togā, quem turcica tellus  
Horruit, & tantis aluit Bellonatrophæis,  
Excelsum STEPHANVS Gentis diadema POLONE,  
Hic; sua dum relegit commissa oracula, chartis,  
Turgida verborum numero pondere; gaudet,  
Dum videt, in Lechiçis Ciceronem viuere scriptis,  
Doctus, docta probat: doctrinæ, præmia mente  
Destinat: Authoris, proprius vult discere vultum:  
Inuidiā Virtus premitur, sed Gloria; blande  
Vestigat sociam, Regisque ad limina ducit,  
Secretum conclave Ducum, Regumq; cubile  
Ingreditur Iuuenis; iucundo certat in ore,  
Mens magna, ardentes pingensq; Modestia mālas.

Tum

Tum Rex, in Iuuencm defigens lumina , magnam  
Spem legit in vultu ; generoso è sanguine, prolem  
Suspicit ; & blandis compellat vocibus vltro.  
Iam, maior, Te cura vocat, longeq; videri,  
Ornariq; suis, Tua vult industria , donis.  
Exin obsequiis G E M B I C K I iungere nostris :  
Curas partiritecum , partemque laborum  
Certum est. Tu nostri secreti conscius esto ;  
Deteget arcanos, soli Tibi pagina, sensus,  
Siue petens A siam ; EVROPÆ seu climate missa !  
Nil opus est monitis ; Pietate, & Mente magistrâ,  
Maius opus paribus poteris sufferre lacertis,  
Aude. Porta patet Virtuti, ad præmia, semper.  
Dixit. & ecce pedum G E M B I C K I iam imatenebat,  
Regalem preindens dextram, frustraq; laborans ,  
Magna, verecundis depellere Munera, causis.  
Officio curam sociat , gratatur honores  
Lechiā gens, magno deducta à sanguine Lechi  
Ipsa DEV M Soboles, Regumq; POLONIA victrix,  
Inclita bellatrix, exerto pectore Martem,  
Casside magnanimam referens, hastaq; Mineruam,  
Sederat, allucto bellis, claroq; trophæis  
Campo Sarmaticis : antiqui hinc inde clientes,  
Dilectam stipant Patriam ; hic augustior ornat  
Effigiem LECHI species , qui sanguinis author  
PRIMVS erat : tum deinde suā Regesq;, Ducesque,  
Censemur serie : laus patria quemq; decorat ;  
Pugnax Nobilitas implet, cum plebe coronam.  
Tum Regina. Devs noua menti gaudia nostræ

Accu-

Accumulat, Proceres, respondent omnia votis,  
In Lechiæ faustos quis conspirasse negabit  
Sidera successus? non obruit ambitus artes;  
Ingeniis aperitur iter; certusque merendi  
Stat fauor: egregios inuitant præmia mores.  
Cernite GEMBICIVM, cui, postquam corde receptæ  
Vno virtutes, varijs cinguntur in usus,  
Iustis ornatur titulis, date dulcia plausus  
Agmina; lætitiae, lucem sacrabimus istam.

Dixerat, at Proceres festiæ gaudia mentis  
Instaurant, plectris cantus miscentur amœnis,  
Plausibus aucta nouis nescit lux æquore mergi.

GEMBICKI, interea Virtutis ad ardua, magno  
Accelerat passu, teneram matuam iuuentam  
Mens decorat; patriæ rapit in se gentis amores.  
Iamque BATOREVS mundi spectabile robur,  
Felicitato concesserat. Inclytæ Regni  
Sceptra SIGISMUNDVS (famam, qui terminet astris.  
Terra POLONIA tuam!) cœlo adspirante, capessit.  
QUORUM GEMBICIVM ut vidit, complexus amore est;  
Continuatus amor doceat, cum Præsule, REGIS  
Arma SIGISMUNDVS, Suedis, inferre parabat,  
Natus Regni Hæres, populo, gentique rebelli,  
Ergo castra mouet, castris se protinus addit  
GEMBICIVS, recto inuigilans, Regisque saluti,  
Gedanum, hospitio cedit; sed inhospita REGI  
Bella, parat, furit in patriam vrbs malefana cohortē;  
Iamque faces & saxa volant: ignobile vulgus  
Mens furibunda armat: per cæcam prælia noctem

Miscen-

Miscentur : miles vix cœco Marte resistit.  
Nec REGI, secura quies , tela impia tela  
Nulla vñquam violant temerata cubilia dextrā :  
Ruptushiat paries ; conclauui mane leguntur  
Illapsæ glandes, atri vi pulueris aetæ.

G E M B I C I V M , sed enim postquam conspexit euntem,  
Discors turma silet , positis clamoribus , aures  
Arrigit : ille, animos dictis, & pectora mulcet.  
Quis furor in præceps animos agit ! ebria tela  
O facinus ! patrio tanti est fædere cruxore ?  
Nullus honos Regis ; placidæ non cura quietis ;  
Regia tecta globi quatient ? vox obruet aures ?  
Et fessis rapient oculis mala iurgia somnum ?  
Ad pacem, ô Ciues, animos componite vestros,  
Prima dies, ius, fasque tuebitur omnibus vnum.

Armorum subito, Eloquio, vis facta recumbit.  
Tempestas compressa ; quies sua reddit a nocti,  
Sic sic G E M B I C I V S , iam vel labentibus ictu,  
Vel prope casuris, vñstot funera contra  
Resistit ; & tristi rapuit de funere multos !

Viderat hæc, magni Pallas Regina Lycæi,  
Athetæ, vario spectatum in puluere robur  
Suspicit ; vt Marti, & Phœbo, pare militet arte.  
Ergo, ait hoc dignâ quando caput infero lauro ?  
O Lechiæ Regina, (latus dextrum,, illa tenebat )  
Palladis hæc sedes, nostris, domus inclyta, signis  
Quando renidebit, pulchra redimita tiarâ ?  
Cur doctam, nondum cingit pulcherrima frontem,  
Mitra mæ sobolis ? Regina P O L O N I A , paucis

C

Hæc

Hæc retulit. Ne fida soror, te cura fatiget  
GEMBICII; meus iste labor: stat pectore Regi  
Fixa SIGISMUNDI, dudum sententia; Sacra  
GEMBICII dignum caput, aduelare tiarā  
Nec mora; in eximiam CVLMENSIS EPISCOPA curā,  
GEMBICIO cedit, dignose Mitra locatam  
Persensit solio, dum tali in vertice fulsit.  
Proxima, post, magnum defert Cuiavia, clauum;  
Fastiditus honos crescit, sed passibus æquat  
Nequaquam paribus, morum incrementa, Tuæq;  
PRÆSVL, Virtutis fastigia proxima cœlo,  
Qualis Te Ductore, acies? Te Principe, leges?  
Te Pastore, greges? Teque imperitante, coloni?  
Quæ mihi Parrhasiæ, decimâ cum Pallade, Diuæ  
Dignis expedient metris? quis ludet Apollo?  
Magna quies, iurisq; metus seruator honesti,  
Te moderante fuit; legum custodia; iuris  
Omnibus æqualis, ponebat fræna potestas.  
Si quando priuata petit Tua Gloria portum;  
Ingenii redeunt fructus: quodcunq; recedit  
Litibus; incumbit studiis: tacitusq; reuoluit,  
Qui Patriæ prodeesse queat; num impendere curas?  
Num censum expediatur? non vel paucō iucubat auro.  
Ac primum maculam vitæ, scelerumq; ministram;  
Trudit auaritiam; communi militat omnis  
Auxilio, Census: dolet hic nullius egestas.

Dum talem, Te, monstrat honor, tandem Insula sedet,  
Vertice summa Tuo Gnesnæam Præsul in urbem  
Ingrederis. Lætæ, nunc necsite filia Sorores,

Nectite;

Nectite; Nemo dies transmissi computet æui.

Hic vitæ Natalis erit. Tu, Troica dignus  
Sæcula, & Euboici transcendere pulueris annos.

Prima hic Cura Dei, tum Relligionis auitæ,  
GEMBICIVM stimulat; ne pestifera hydra superbum  
Erigat Hæreticum collum, frontemq; rebellem;  
Tartarei sed victa gemat sub compede Ditis;  
Vel magnæ Matris discat mitescere iussis.


Conscia, Præsule iloquitur V ARSAVIA, zeli,  
Quæ multa, fortique manu, cinctumq; cateruis  
Sæuos contra hostes Veræ Fideique, DEIq;,  
Vidit GEMBICIVM, tectisque recepit amicis.  
Nil hic impensæ, nil cura senilibus annis  
Aspera, cogenda, conseruandaq; cohortis,  
Vnius ob IESV potuit, Patriæque decorum.

Vinit Dalmatico Magni satiata metallo  
Virtus Pompei; veteres in marmore lucent.  
Æneæ, Graiiq. Duces, quos præfca vetustas  
Magnanimos, viuis voluit donare colossis.  
Cedant, sed veteres ceræque, ærisque figuræ.  
Si quid Apellæi gaudent animisffe colores;  
Ingenuiq; manus, si quid rasere Myronis.  
Aera à Sarmaticis, surgent potiora, fauillis  
GEMBICIO; viuent animis celata clientum.  
Tam RARI PATRIS! Tantarum Insignia Rerum!  
Omnia si taceant, F A M A M, ipsa sepulchra loquentur.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.



8110  
8



7544

8110  
8

